

M. CHRISTIANUS Weise /

In Illustri Augusteo Politices, Eloqven-
tia ac Poëseos Prof. Publ,

ad

Actum Oratorium

De

RESURRECTIONE
DOMINICA.

Cujus

in signem fructum deprædicabit

DIETERICUS Cimbke / Brunsvicensis Saxo.

efficaciam admirabitur

CAROLUS Güterich / Cyrizensis Marchicus.

imitationem suadebit

JOHANNES ADOLPHUS NICOLAI,

Dresdensis Misnicus.

decenter invitat

d. 12. April. M DC LXXII.

LEUCOPETRÆ,

Charactere HILDEBRANDIANO.



H Tñ à primis Ecclesiæ incunabulis, Diabolus, Dei simia, id egit nō perfunctoriè, ut varias ceremoniarum rituumq̄ve formulas, furto quasi ablatas, corruptis suis implantaret gentiliū cœtibus, ac proinde victimarum, ignium perpetuorum, oraculorum, lustrationum aliorumq̄; imitationem satis diligenter proponeret: nullo tamen tempore major ejus eluxit sedulitas, quàm ubi, per mirificum Christi Salvatoris adventum, plena miraculorum messis Judæis pariter ac omni populo exhiberetur. Tunc enim ut eorum magnitudinem aut suspectam redderet aut vulgarem, stupenda apud ethnicos edidit exempla, seu ut rectiùs loquar, edita fuisse à credulis scriptoribus postmodum jussit commemorari. Imprimis dici non potest, quàm honorificè Augustum Cæsarem, cujus Imperium Jesuli nativitate illustratum est, quasi in ipsius servatoris contemptum extulerit. Cujus rei documentum vel ex solo patere potest Svetonio, Vitæ ejus non inepto, sed ethnico scriptore. Etenim si Christus Dei futurus erat filius; Augustus quoque Patrem agnoscebat Apollinem, qui sub Draconis figurâ cum Attiâ in templo concubuisse. *cap. 94.* Si novi cujusdam Regis mentionem accipiebant Judæi, quâ perculsus Herodes de infantibus tollendis consilia agitarer;
etiam

etiam ante Augusti nativitatem. Romæ prodigium,
publicè factum, quo nunciabatur, *regem populi Romani
naturam parturire*, unde Senatus exterritus jam censue-
rat, ne quis illo anno genitus educaretur, *cap. 94.* Chri-
stus nascitur in stabulo: Augustus regione palatii, ad
capita bubula, *cap. 5.* Angeli Pastoribus annunciant,
natum esse *Christum Dominum*: P. Nigidius quidam,
cum tardiùs ob uxoris partum in curiam pervenisset.
Octavius, affirmaverat, *Dominum terrarum Orbis natum*,
cap. 94. Ereptus aliquando Christus puer è Parentum
oculis, tertio demum die inventus est in templo: Au-
gustus infans repositus vesperi in cunas, postero die
non comparuit, & diu quæsitus, tandem in altissimâ
turri inventus est, jacens contra Solis exortum *cap. 94.*
Ad Christum Magi congregabantur cum donis, seu,
ut prædixerat Esaias *cap. 60.* ambulabant gentes in lu-
mine ejus, & reges in splendore ortus ejus: Augusto
non reges saltem amici & focii, singuli in suo quisque
regno Cæsareas urbes extruebant; *cap. 60.* sed Indi
quoque ac Scythæ, auditu modo cogniti, amicitiam
per legatos ultro offerebant *cap. 21.* vel, ut *Florus lib. 4.*
cap. 12. rem clariùs exprimit, Scythæ misere legatos &
Sarmatæ amicitiam petentes; Seres etiam habitantes-
que sub ipso Sole Indicum gemmis & margaritis &c.
Porro, Christus variis miraculis gloriam manifestabat
suam: Augustus etiam, virtute non contemnenda,
scilicet, rana in villâ paternâ silere jussit *cap. 94.* Sanè
ægrotorum ac mutilorum sanationes, quasi per obli-
vionem omissas, Vespasian^o demum compensavit, qui,
ut idem *Svetonius Vesp. cap. 7.* refert, cœcum & clau-
dum restituit. Unde *Emanueli Thesouro in politissimo In-*

scriptionum opere p. m. 88. ejusmodi de Vespasiano enatum
fuit elogium: *Dignus spectari, quem caeci etiam spectarent:*
Dignus Imperator, quo jubente claudi currebant. Sed istud
à me tunc credetur, cum fidem habuerit Apollodori
fabula, Æsculapium à Chirone institutum mortuos
refuscitasse. *Vid. Barb. Animadv. in Stat. II. Achill. vers.*
445. qualescunqve testes afferre conetur Tacitus.
4. Histor. cap. 81. fin. Præterea Christus insigni
humilitate fuit conspicuus: Augustus *Domini* repu-
diavit titulum *cap. 53.* veste domesticâ usus *cap. 73.*
ciboqve vulgari contentus *cap. 74.* Christus cum esset
ditissimus, voluntariam subiit paupertatem: Augu-
stus tot provinciarum redditibus locuples, stipem quo-
annis die certo emendicabat à populo, cavam manum
asses porrigentibus præbens. *cap. 91.* Christus duode-
cim sibi ascivit discipulos: Augustus etiam pro Apol-
line ornatus coenas instituebat *ἡ δωδεκάδεις cap. 70.* Chri-
stus, quæ futura essent, prædixit: Augustus bello-
rum omnium eventus ante præsensit, *cap. 96.* Imò sic-
ut Christus non fugâ saltém Ægyptiacâ furentibus se
hostibus subtraxit; sed postmodum Judæorum lapi-
des ac Nazaræorum præcipitia *Luc. 4.* quasi factus in-
visibilis, elusit: Sic Augustus in famosâ adversus Cas-
siam & Brutum pugná, somnio medici sui admonitus
castris excessit, *Fior. lib. 4. cap. 7. &*, ut addit *Plutarch.*
in Bruto cap. 26. nusquam apparuit. Tædet exhaurire
omnia, quæ restant. Id solùm addo, post Augusti
Cæs. mortem non defuisse virum prætorium, qui se
effigiem cremati euntem in coelum vidisse jurasset.
Suet. cap. 100.

Coeterum quoties comparationem istam invoco,
in

in mentem mihi venit miscellus ille Scholasticus apud Schuppium in Oratore inepto, qui Erasmus Roterodamum satis à se expressum putabat, si calamo scriptorio nimis conciso longiusculum adderet lignum, quod ille forte per necessitatem aliquando fecerat: aut etiam recordor eorum, qui cum Regum potentiam & auctoritatem assumere non possent, calvium tamen aut claudicandi consuetudinem ab iis didicerunt. vid. Sagittar. ad Justin. lib. 1. cap. 2. p. 58. Pari enim modo Sathanas, quæ externa erant in Christo imitari ausus, interna illa & præcipua, quæ ad Redemptoris spectabant officium, planè reliquit intacta, aut summo cum turpitudinis ac falsitatis crimine delibavit. Exempli loco ex infinitis Christi $\chi\rho\iota\tau\iota\sigma\tau\iota\sigma\iota$ tria adduxisse sufficiat: quod 1. Sine peccato fuit 2. hostes & omnes & omninò fudit 3. nobis suam contulit v. Florianam.

Jam accedant ethnici, ac aliquem ex suis heroibus proferant, qui talia de se potuerit prædicare. Primum enim quod attinet $\alpha\nu\alpha\mu\alpha\rho\tau\eta\sigma\iota\alpha\nu$, Augustus Dei quidem nomen assumpsit; sed pulcher Eman. Thesauri lusus p. 74.

Urò bina videt miracula tempore mundus,

Cedere Roma Deo prodigiosa negat.

Nam Deus humanos cum se tenuavit in artus,

Parvus homo ingentem se facit iste Deum.

Ille, Deus, cum fiat homo, non desinit esse:

Cum Deus hic fiat, non sinit esse malus.

Major es ergo Deo, vel nomen fingis iniquum,

Cæsar; non potuit, quod potes ipse, Deus.

Et sane non ignota sunt & credulitatis & libidin-
nis

nis exempla, quibus fuerit celebratus *Suet. cap. 5. it. 68.*
& 69. Ita ut turpissime steterit omnium adulatio. Ti-
tus Imp. moriturus conqverebatur, non extare ullum
suum factum poenitendum, excepto uno; cui tamen,
Aufonius, hac in parte mendax potius quam poëta,
non dubitavit tales reponere versiculos:

*Felix Imperio, felix brevitate regendi,
Expers civilis sanguinis, orbis amor:
Unum dixisti moriens te crimen habere,
Sed nulli de te; non tibi credidimus,*

nimirum oblitus fuerat iste, quod idem ille Titus,
quem pro amore ac deliciis humani generis habebant,
tanta initio sævitæ, luxuriæ, libidinis, ac rapacitatis
dedisset exempla, ut omnes propalam alium Nero-
nem & opinarentur & prædicarent. *Sueton. Tit. cap. 5.*
Mentionem hic non possum non facere *Velleji Patercu-
li*, qui ut Sejanum aliaque aulæ Tiberianæ carcino-
mata eò tutius posset in cœlum extollere, omnibus
Romanorum heroibus tantum non divina attribuit
elogia. Scipio Æmilianus perjur⁹ ille Carthaginis ever-
sor, perhibetur nihil in vitâ nisi laudandum aut fecisse,
aut dixisse, aut sensisse. *lib. 1. cap. 12.* Cato Uticensis
αὐτόχριστος iste, & in quo Jul. Cæsar tot invenerat vitia,
ut sine pudore scribere auderet AntiCatonem, *Plu-
tarch. in vitâ Cæs. cap. 16.* ipsi quidem Vellejo audit Ho-
mo virtuti simillimus, & per omnia ingenio Diis
quam hominibus propior -- -- omnibus humanis
vitiis immunis. *lib. 2. cap. 35.* Hæc videlicet ea est fan-
ctitas, quæ omnium gentilium, præcipuè Stoicorum
scripta implevit. Cum ex adverso nos certi simus.

So-

Solum fuisse Christum, quem vel unius peccati nemo potuerit arguere, & qui perfectissimam suam obedientiam ne jota quidem legis non impletum reliquerit.

Sic etiam Victoriæ satis magnæ nunquam non jactantur: sed eæ nec universales, nec perpetuæ. Ridelicium erat Pompejum de tribus terræ partibus triumphasse. *Vellej. lib. 2. cap. 40.* cum, sicut terra defuerat ad victoriam; terra ipsi deesset ad sepulturam *Id. lib. 2. cap. 53.* Et ipse Augustus, qui Janum ter clauserat constituta per orbem terrarum pace, toties eundem aperuit, imo Liviam suam pacare non potuit, quo minus veneno longævitatem ejus impugnaret. *vid. Tacit. Annal. lib. 1. cap. 5* Cum ex adverso Christus noster omnium hostium amplitudinem ita prostraverit, ut in æternum resurgere non audeant amplius.

Tandem quis unquam repertus fuit, qui suam felicitate aliis potius quam sibi profuerit? Ea quidem ambitionis suspicione laborabat Augustus, quasi pessimum adoptasset Tiberium, ut tali successore desiderabilior quandoque fieret. *Sveton. Tiber. cap. 21.* Quæ autem bona post ejus excessum, seu ut credebatur, post ejus divinitatem, Romano populo accreverint, nullus enarrat historicus. Sic Divi isti in coelum recepti suaviter otiantur, & cum Quirino aliisque delicias rerum terrestrium felicitatem parum habebant cordi. O nos felices, quibus Rex ac Redemptor ejusmodi contigit, qui millies & plus quam millies Augusto felicior, Trajano melior, omnem suæ felicitatis ac bonitatis fructum nobis & concessit & perpetuum fecit. O beatum hoc tempus, quod reflorescente anno reflorescentis nostræ salutis memoriam Paschali

fo-

solemnitate rursus concelebravit. O beatos nos, si temporis adeo jucundi recordationem nunquam deposuerimus! Proinde quod in templis hactenus devotione satis commendanda pertractatum est, nostrum quoque Augusteum repetitâ potius quam scrutinâ pietate continuare decrevit. Eoque frequentius sibi pollicetur Auditorium, quo magis excitatos hactenus fuisse omnium animos credibile est. Nam precibus aut prolixâ invitatione vix opus esse videtur, ubi devota cujusque pietas optimam invitatoris vicem est subitura. Faxit saltem ille Deus, qui æternam nobis Pacem & prælio suo acquisivit, & triumpho splendidissimo confirmavit, ut tantum Pacis fructum, in optata Ecclesiæ ac Reip. tranquillitate, admirari queamus ac percipere. Exurgat adversus insanos Orientis Occidentisque turbatores, qui suâ Resurrectione effecit, ne resurgere imposterum queant inimici. Sepeliat odia ac similitates gentium, qui omnem nostram infirmitatem, omnem maledicti divini asperitatem reliquit in sepulchro. Vivatque apud nos, cujus vita pro victoria, præsentia pro felicitate, gratia pro æternâ incolumitate æstimanda est ac de prædicanda. Vireat Germania, Quiescat Europa, aut si effuso sanguine opus est, Africæ potius Asiæque ruinas exaudiamus, ac interim Ecclesiæ floreat pomœria. Hoc vovemus, hoc precamur, hoc impetraturos nos confidimus. P. P. Postridie Festum Paschæ. M DC LXXII.